

TRACTATUS

PRIMVS.

Duo sunt consideranda (vt alia qua
tempore comodiore sum tractatu-
rus prater ea) circa *hæc* & *non*
thermarum nostrarum *Carolinarum*.
Vnum quod ea qua sunt circa fontes nostros ca-
lidos loca respicit. Alterum quod ea continet,
qua in ipsis fontibus atq; vsu eorundem cõside-
randa sunt. Etsi autem de causa caliditatis fon-
tium & de temperie viribus copiosius aliquã-
tò quedam commemoranda essent, tamen cum
hoc tempore ocium tale vt ijs explicandis va-
care potuissem, non esset, interim considerati-
onem & expositionem eorum in tempus magis
commodũ & opportunum distuli, vbi Deo vo-
lente & iuvãte vberius ista explicabo. Nunc
verò quedam de inventione fontium, non qui-
dem qua perscripta & literis mandata essent,
sed qua cõmuni relatione & ad posteros trans-
lata conservata essent, referam. Non enim
quidquam annalibus annotatum reperio, sed
santum rumore vulgatum & notum.

CAP. I.

QVOMODO REPERTI
SINT FONTES NOSTRI
calidi, brevis commemoratio.

FAMA

Fama est, Imperatorem Carolum, hujus
 nominis 1111. Boemia, &c. regem, in
 his montibus & vallibus, ubi nunc aqua cali-
 da scaturiunt, atq; olim densissima silva, &
 stabula alta ferarum fuerunt, venationes in-
 stituisse: Interq; venandū canem ardentius fe-
 ram insecutum, in has, ubi nunc fons ille omni-
 um ferventissimus scaturit, paludes incidisse,
 & fervore aqua laesum atq; excruciatum, cla-
 morem ingentē ex valle ad montes tulisse. Ve-
 natorem verò clamore illo & ejulatu motum,
 atq; echo & sonum secutū, ratumq; feram esse,
 qua canem agitaret, devenisse ad locum, ubi
 ille esset, atq; canem in caeno & palude, ex qua
 fumus egrederetur, harentem & clamantem
 comperisse. Obsupefactum verò rei miraculo
 propius accessisse, & aquam ferventē esse qua
 ita canem excruciet, sensu deprehendisse: Re-
 quoq; indicata Imperatori, concursū subito nu-
 merosum factum eorū, qui cum Imperatore in
 fauces montiū ad videndum naturae miraculū
 descendissent. Cū verò Imperator sapiens, &
 medici illius animadverterent, aquā scaturi-
 ginis medicatam, multis humani corporis mor-
 bis utilē futurā, Imperatorem ipsum primò in
 proprio corpore hujus periculū fecisse, atq; le-
 vramē mali (ajunt enim ipsū crus malè affectū
 habuisse) persensisse, letariq; felici lavationis
 successū, locum hunc habitabilem fieri jussisse.

Locum

Locum autem ubi Imperator primò crus aqua
immersū lavavit, ajunt incolæ, qui atate reli-
quos superant, fuisse eum, ubi olim communia
balnea fuerunt, & nunc domus senatoria est,
sub qua etiam fons est, sed scaturiginis non ita
serventis, sed propemodum tepidæ: monstra-
tamq; superioribus annis esse sedē in petra ex-
cavatā conformatamq;, quam sellam Impera-
toris Caroli nominarunt incolæ, sed vetustate
nunc collapsa est, & locum occupavit, ut indi-
catum est, domus senatoria. Postquam autem
aqua hæc affectū Imperatoris curasset, ad con-
struendum & ædificandum novum oppidum se
Imperator accinxit, & muro cincturus & mu-
nitus illud fuisset, nisi fatum, nescio quale, il-
lud impedivisset. Testes hujus rei sūt adhuc mu-
rorum quadam partes & fragmenta, quæ sub
rupe cer vorum videntur. Spectantur quoq; ad-
huc in fastigio rupis vestigia cellarum, & si ve-
tustati credimus, in vertice & cacumine rupis
illius Imperator arcē construere (quæ ædifican-
di in cacuminibus montium ratio, olim admo-
dum in Boemiæ regno vsitata fuit) in animo
habuit. Adhuc autē ab inventore Imperatore
Carolo IIII. thermæ nomen retinent, & Ca-
rolinæ dicuntur. Hæc quidem, ut antè indica-
tum est, seniorum incolarū relatione, non au-
tem perscripta annalibus, conservata fuerunt,
quibus assentiri interim quilibet poterit, cum

B

nos

non sint alia, quæ diversum & contrarium doceant. Fuisse autem annum, quo reperti sint fontes, à Christo nato ajunt 1370.

CAPVT II.
DE MONTIBVS, QVI
VALLEM, IN QVA AQVA
erumpit, cingunt, deq; eorum
situ.

MONTES nostri directè ad plagas seu cardines mundi non vertuntur, sed à recta linea declinant. Fagorum enim mons qui tribus verticibus altus & ingens est, nō rectà ad Ortum se vertit, sed ad septentrionem ea in parte vbi Cacias spirat, sese inclinat, nisi mons ille qui nomen habet ab acido fonte, qui in radice ipsius scaturit, ad meridiem recta linea se flectere videatur. Mons autem qui nomen habet vt reor, à stridore lapidum aut pedum, ob montis præcipitem situm, mobilitatem, quem vulgo den Jschirberg vocant; non directè Meridiem spectat, sed ad Occidentem se inclinat: neq; ingens rupes illa cervorum, quam vulgò vocant den Hirschstein/ rectà ad Occidentem vertitur, sed declivem ferè vniversi habent intuitū. Sunt præterea etiam duo montes, sed non adeo magni, qui septentrionem intuen-

tur